

## IN SEQUENTIA CARMINA BREVE MONITUM.

Hoc poema, sicut et plura alia subsequētia quæ locis convenientibus designabimus; ex manuscripto codice quingentorum circiter annorum eruimus. Is autem codex e bibliotheca percelebris abbatiæ Sancti Amandi in Pabula seu Elnoneensis, translatus est in bibliothecam Regiam, ubi nunc existat sub num. 247, cumque præferat diserte nomen Hildeberti, quin genuina sit ejus lucubratio nullus videtur esse ambigendi locus. Illa autem poemata eo libentius prelo commisimus, quo rerum omnium etiam temporalium et inanimatarum creationem ad sensus spirituales et morales pro more suo subtilius et ingeniosius trahit et adaptat.

## (47) HILDEBERTUS CENOMANENSIS

DE

## OPERIBUS SEX DIERUM.

(Gen. I-II.)

## 1169 DIES PRIMUS.

Omnipotens in principio cælumque solumque  
Fecit; principium ejus Filius erat.  
Fecit in hoc cælum, qui cælica mente requirunt,  
Et terram, nimium terrea qui cupiunt.  
Tellurem vacuam Scriptura refert et inanem:  
Sic vacui sunt terrea qui cupiunt.  
Quæ densis tenebris adoperta refertur abyssus,  
Peccati tenebris nubila corda notat.  
Ille ferebatur super undas spiritus almus;  
Nam firmat mentes, vivificatque vagas.  
Hisque notabatur verbis baptisma quod ipse  
Sacraturus erat temporibus fidei.  
Et dixit Dominus: Fiat lux, factaque lux est:  
Nam baptisma sacrum lux fidei sequitur.  
Jureque prima fidem lux signat: nam prior illa  
Virtus est omni qui venit ad Dominum.  
Post hæc divisit tenebras lucemque Creator,  
Et tenebræ nox est, luxque vocata dies.  
Per tenebras pravos, per lucem concipe justos,  
Præscia divisit quos meritis Deitas.

## DIES SECUNDUS.

Hinc firmamentum, quod luce sequente creatur,  
Dicunt Scripturam significare sacram,  
Quæ post baptismum fidei splendere nitentes  
Confirmans, hostis munit ab insidiis,  
Hinc divisit aquas ab aquis Deus, inter utrasque  
Hoc firmamentum constituens medium.  
Has per aquas hominum genus angelicumque notatur,  
Divisum meritis, conditione, locis;  
In medio quorum Scriptura sacra locata  
Nobis præfertur, spiritibusque subest:  
Nam lex divinis non est descripta ministris [i. e. an-  
[gelis,]  
Qui plene cernunt littera quod tetigit.

(47) Ita præfatus codex sine H.

A Est data lex homini, qua spiritualia carnis  
Sicut aquas ab aquis, dividit a vitis.

## DIES TERTIUS.

Tertia lux aderat, cum humor confluit in unum,  
Fit mare; quæ latuit arida sic patuit.  
Ventosum pravos mare signat, et arida justos,  
Qui donec vivunt, justitiam sitiunt.  
Hinc horbam viridem, fructumque ferentia ligna  
Doctores, quos non frangere dura queunt.  
Hæc cum seminibus producere terra jubetur  
Quæ sunt verba Dei, factaque justitiæ.  
Quæ qui mente tenent, et fratribus illa ministrant,  
Semine producunt hoc genus illa suum.  
Arida dicta prius est postea terra vocata;  
Sic nos amotis terra vocatur aquis:  
B Nam nos a vitis per aquarum fluxa notatis  
Si sejungamur, terra ferax erimus.  
Et Domino fructum reddemus multiplicatum,  
Justitiæ splendens, et pietatis opus.

## 1170 DIES QUARTUS.

Quarta luce Deus fecit duo lumina magna,  
Per quæ signantur Christus et Ecclesia.  
In firmamento Scripturæ qui renitentes  
Maxima credenti lumina dant populo:  
Et velut illustrat proprio sol lumine lunam,  
Luce sua Christus sic replet Ecclesiam.  
Lunaque nocturnas ut pellit luce tenebras,  
Si tenebras nostras effugat Ecclesia.  
In firmamento stellas intellige justos [vel sanctos],  
Qui Scripturæ hærent, atraque nostra fugant.  
C Et bene terra prius cum lignis protulit herbas,  
Postea fulserunt lumina clara polo;  
Nam tunc quisque nitet virtutum luce fidelis,  
Quodvis laudandum cum prius egit opus,

## DIES QUINTUS.

Quæ reptant in aquis, volitantque per aera pennis,  
 Dicitur in quinta luce creasse Deus.  
 Suscepto Christi mens lumine nostra jubetur  
 In cordis pelago noxia discutere.  
 Quæque velut repunt, tenebrisque teguntur abyssi,  
 Protinus admoto pellere iudicio.  
 Quæ quasi summa petunt, et sunt proxima cælo,  
 Hæc retinens animo servet alatque suo.  
 Quod vidisse bonum Deus affirmatur utrumque,  
 Hanc causam reddunt mystica qui capiunt.  
 Sunt mala quæ tacite repunt in corde bonorum;  
 Nam nituntur eos ad mala pertrahere.  
 Sed cum pelluntur, sanctique per illa probantur,  
 Sunt bona, sanctorum quod cumulant meritum.  
 Hinc vidisse bonum, sed non fecisse refertur  
 Hæc Deus, illa bonos posse juvare videns.

## DIES SEXTUS.

Sexta luce Deo produxit terra jubente  
 Reptile, jumentum, cumque fera pecudem.  
 Hæc motus hominis designant exterioris,  
 Qui prædictorum terrea more pefunt.  
 Quod mare produxit hominis notat interioris  
 Sensus, quos, piscis more, profunda tegunt.  
 At motus hominis designant exterioris  
 Terreni fetus, utraque nempe patent.  
 Hocque notat, quod nil ubi signat littera carnis  
 Motus, productum quod volens invenies.  
 Nam caro nostra gravis, naturaque semper ad ima  
 Nos trahit, et terram sic quasi nata petit.  
 Sic jam completis prædictis omnibus istis,  
 Ornatum mundo quæ speciemque dabant,  
 Quæque figuratum, quæ mundum ornare minorem  
 Possent, innuerent, Conditor orbis ait:  
 Plasmemus hominem, quem nostra venustet imago  
 Et similitudo. Munera quanta dedit,  
 Cuncta creans homini si dantis jussa teneret,  
 Et nisi peccando per pecudi fieret I  
 ¶ 171 Non tamen hæc homini data credas exteriori,  
 Interior solus hæc homo dona tenet.  
 Hinc invisibilis, immortalisque creatus,  
 Est rationalis, sicque Deo similis.  
 In nobis ratio quædam Deitatis imago est,  
 Et nostri tantum pars videt illa Deum.  
 Præferimur sola mutis animantibus illa,  
 Quique regit cælum quærimus hujus ope.  
 Est similitudo Deitatis, nos imitari  
 Justitia et morum nobilitate Deum.  
 Est aliud quod habet humana creatio dignum,  
 Quod bene verba Dei mystica significant.  
 Dixerat in reliquis: Fiat; Deus hic: Faciamus,  
 Dixit; consilio res quasi digna fuit.  
 Jureque trina simul Deitas hunc est operata,  
 Quem solum propriam fecit ad effigiem;  
 Adiecitque Deus: Terræ dominetur, et illis  
 Quæ mare, quæ tellus, quæ levis aer habent.  
 Dignius hoc animal Deitatis imagine clarum,  
 Præficitur reliquis, voce creantis, homo,  
 Non vi, qua potius pollent animalia plura,

A Sed ratione, Dei quæ tenet effigiem.  
 Qua bene dum fruitur, merito præponitur illis,  
 Dum male, jumentis efficitur similis.  
 Sic Deitas hominem, censuræ pondere quodam  
 Consilioque, suam fecit ad effigiem.  
 Dum dicit nostram, Deitas est trina notanda;  
 Nam nostram solus dicere non poterat,  
 Fecit ad effigiem, repetendo: Dei, Deus, illum,  
 Non tres credendos innuit esse deos,  
 Subditur his quod mas fuerit et femina facta,  
 Dicatur factus cum prius unus homo;  
 Nam mas feminei retinebat semina sexus,  
 Et fuit ex costa femina facta maris.  
 Unde volens hominis benedicere posteritati,  
 Ex una quoniam non poterat fieri,  
 B Vox Domini merito geminis benedixit in uno,  
 Ut fecisse Deus Melchisedech legitur:  
 In lumbis Abraham, qui tunc benedixit Aaron,  
 Cum decimas, rediens victor ab hoste, daret.  
 Hinc homo primus erat duo; carne prophetabat una,  
 Cum de se factam susciperet sociam.  
 Vult et in hoc geminos quod sic benedixit in uno,  
 Commendare Deus vincula conjugii.  
 Inde Dei sequitur benedictio, quæ datur omni.  
 Qui cura vigili quæ jubet illa facit:  
 Crescite, multiplici tellurem prole replete,  
 Et nobis illam subdite; dicta nota.  
 Præstitisque maris animantibus alitibusque,  
 His quoque quæ varii terra creat generis  
 Crescere justitia nos vult et multiplicari,  
 C Doctrinæque honis corda repleti hominum.  
 ¶ 172 Corporis et nostri terram inacerando subactum  
 Subdere nos animæ præcepit imperio,  
 Et cordis nostri dominari, corporis atque  
 Molibus illicitis, ut prius edocuit.  
 Quod cunctas herbas, fructumque ferentia ligna  
 Dat Deus, his escas sic potes accipere.  
 Parvos et magnos, herbas et ligna, fideles  
 Accipe, qui patribus dant alimenta sacris;  
 Nec solum patribus, sed et illa bonisque malisque  
 Præbent, quos pecudes significant et aves.  
 Nam Christi pietas posse dare præcipit omni  
 Qui petit, at sanctis præcipue patribus.  
 Vidit cuncta Deus quæ fecerat, et bona valde  
 (Mox inferitur) erant; respice dicta prius.  
 In reliquis vidisse bonum per singula dictum est,  
 D At non formato dicitur hoc homine.  
 Non vidisse bonum, vox mystica, sed bona dicit,  
 Non per se laudans hunc, nisi cum reliquis.  
 Spiritus ille Dei, per quem sunt ista relata,  
 Hic peccatum noverat esse hominem.  
 Noluit hunc ergo solum laudare creantis  
 Qui solus jussum postpositurus erat;  
 Atque inter pecudum laudes laus dicitur ejus,  
 Qui peccans pecudi par meruit fieri.  
 Ergo dies sexta mundus formatus, et omnis  
 Illius ornatus est, operante Deo.  
 Perfecto numero facta est perfectio mundi,  
 Disponente bono taliter artifice.

Complevitque suum septena luce Creator  
 Quod patrarat opus ; cautius ista vide.  
 Nil fecisse die Dominus narratur in ista,  
 Et dicit quod in hac luce peregit opus.  
 Si tamen attente spectes, duo facta videbis ;  
 Namque diem fecit et benedixit cum :  
 Et bene cuncta Deus numero complevit in isto,  
 Per quem circuitus tempora semper agunt.  
 Hac in luce Deus requievit ab omnibus illis  
 Quæ perpetrarat ; hæc quoque dicta nota,  
 Non Deus humano defessus more quievit,

A Et quia vera quies est, labor hunc domuit,  
 Non sic, sed Domini cessare quiescere dicit :  
 Nam nova cessavit condere tunc opera.  
 Quod si perspicias animo subtilius ista,  
 Quod dici possit altius invenies.  
 Nos operamur, ob hoc operum mercede juvati,  
 Ut requiescamus ; sed Deitas aliter.  
 Nempe Deus mundum sola bonitate creavit,  
 Indignit mundi non tamen ille bonis.  
 Et nec in his, sed ab his requievit, nullius horum  
 Indignus ; et tribuens, non requiem accipiens.

INCIPIIT

## HILDEBERTI

CENOMANENSIS EPISCOPI

## PHYSIOLOGUS.

(*E ms. Regio 274. olim Elnonensi. Nondum editus.*)

### 1172 DE LEONE.

Tres leo naturas et tres habet inde figuras,  
 Quas ego, Christe, tibi bis seno carmine scripsi.  
 Altera divini memorant animalia libri,  
 De quibus apposui quæ rursus mystica novi,  
 Tentans diversis si possem scribere metris.  
 Nec numerum nostrum complent simul addita so-  
 lum ;  
 Nam leo stans foris super alta cacumina montis  
 Qualicumque via descendit vallis ad ima,  
 Si venatorem per notum sentit odorem,  
 Cauda cuncta linit, quæ pes vestigia figit,  
 Quatenus inde suum non possit querere lustrum.  
 Natus non vigilat dum sol se tertio gyrat,  
 Sed dans rugitum pater ejus suscitatur illum.  
 Tunc quasi vivescit, tunc sensus quinque capescit,  
 Et quoties dormit sua nunquam lumina claudit.  
 Sic tibi qui summi resides in culmine cœli,  
 Cum libuit tandem terrenam visere partem,  
 Ut genus humanum relevares crimine lapsam,  
 Non penitus notum fuit ulli dæmoniorum  
 Viscera Mariæ tibi, Christe, fuisse cubile,  
 Et qui te genuit, triduum post surgere fecit,  
 Cum mortis vindex, mortem crucis ipse subires.  
 Tu nos custodis, tu nullo tempore dormis,  
 Ne demat quemquam proprio lupo e grego ra-  
 ptum.

### DE AQUILA.

Esse ferunt aquilam super omne volatile primam,  
 Quæ se sic renovat quando senecta gravat.  
 Fons ubi sit quærit qui nunquam currere desit,  
 Et super hunc cœlo sitque propinqua Deo.  
 (48) Nota baptismum per immersionem.

B Tunc sibi sol ambas incendit fervidus alas,  
 Et minuit grandes, alleviatque graves.  
 Tunc quoque caligo consumitur igne propinquo  
 Quam confert oculis vita vetusta suis.  
 Mox ruit, et liquidis fontis se mergit in undis,  
 Utque cadit nido, sic nova sit subito.  
 Est autem rostrum quo carpitur esca retortum  
 Vix valet ex aliquo sumere pauca cibo.  
 Sed feriens petram, vel mordens ut solet escam  
 Atterit obliquum ; sic capit inde cibum.  
 Est homo peccatis quæ sunt ab origine matris  
 Qualis idem est aquila ; sed renovatur ita.  
 Nubem transcendit, solisque incendia sentit,  
 Mundum cum pompis despiciendo suis.  
 Fit novus in Christo ter mersus gurgite vivo (48).  
 De se : Sum vivus fons, ait ille pius.  
 Os terit obliquum per verba precantia Christum  
 Quod Christus petra sit, littera sæpe tulit.  
 1174 Jam novus est panis super omnia mella  
 [suavia :  
 Panis is est Christus, sit sine morte cibus.

### DE COLUBRO.

Jam senex serpens novus esse gaudet,  
 Atque jejunans macie perhorret.  
 Pellis effecta tremit ; ossa, non vis,  
 Sola manetis.  
 Quærit angustum lapidis foramen,  
 Vix movens sese, veniensque tandem  
 Inde pertransit, spoliaturque carnem  
 Pelle vetusta.  
 D Quas libet rivos repetens aquarum  
 Ut sitim perdat jactat ante virus :